LEDÆ CUM CYGNO LUDENTIS, SIMULACRUM E MARMORE PARIO, IN VESTIBULO...

Michele Cappellari

Digitized by Google

Digitized by Google

1053.8

Digitized by Google

A I

L E D Æ
cum CYCNO ludentis,
S I M V L A C R V M
E Marmore Pario ,
IN VESTIBVLO BIBLIOTHECÆ
M A R C I A N Æ.
MICHAELIS CAPELLARII
S Y L V A.

1053
8

1053.8

Digitized by Google

AD LECTOREM

SI, quòd depoſita laſciuit veſte Lacæna,
Tetrica Phidiacum lumina lædit Opus :
Candida quòd niueus deſignat pectora Cycnus,
Promereat viſus Lector amice tuos.
Sed magis ignores Simulacrum durus vtrumque,
Ne premat æternus Carmina noſtra Lapis.

Digitized by Google

Contractæ Frontes, & duri triſte Catonis
Agmen ab expoſitâ vultus prohibete Figurâ.
Vos aliò Cenſura vocat: remouete ſeueri
Tela ſupercilij, ſacrumque auferte furorem.
MAXIME Cęlicolûm, trepido cui ſeruit Olympus
Turbine, & ad primos ſubsidunt Numina nutus,
Da pulcros penetrare dolos, acieque ſagaci
Veſtigare Deum; nec ſit vidiſſe pudendum
Quod licuit luſiſſe Iouem: ſed vana timemus
Incuſſoque metu facilem, precibuſque laceſſo:
Scilicet ad ſuperos Cycnum tranſmiſeris axes,
Vt lateant terris, toto quæ furta renident
Æthere, & obliquæ ſuggillant Coniugis iram?
Vnde prius cupidi ſument ſpectacula viſus?
Quæ primùm per membra ferar? Nudata Lacęnæ
Corpora me capient? Plumis an tectus Adulter
Aduocet? Alterni rapimur; ceu Gurgitis æſtum
Cùm Notus euertit: Thetis hinc, furor inde rebellat
Æolius, verſantque ratem, neuterque repelli
Suſtinet; incerto nutat iactata Profundo
Puppis, & innumeros variat diuiſa recurſus.
Audenti ſed parce Deus. Quæ ſede coegit
Stellanti migrare Iouem, prior Illa tuentem
Vindicat, & nudæ pandit miracula Formæ:
Poſterior petis Ipſe legi; gaudeſque ſecundus
Percurri: tantùm vetiti decreſcit amoris
Culpa; Dionæi quantò violentia teli
Acrius incubuit: laudatâ pellice Iuno

Segnius inſurget; nec dedignabitur ignes
Degeneres hauſiſſe Virum, thalamoque minori
Acclinaſſe latus. Sed nec manifeſta Tonantem
Maieſtas prodit: cunctos premit ordine Diuos
Iuppiter in Cœlis; Ledæ poſtponitur Ales
In Terris; Regumque genus præfertur Olori.
Ite oculi, ſaturate famem; plenoque beate
Obtutu mentem; Parium nec credite Signum,
Sed viuum ſpectare Decus: cohibete profanæ
Acceſſus dextræ: fas viſu intrare patentem,
Sed manibus tetigiſſe, nefas: conſurget in iras
Iuppiter, & poſito iaculabitur Alite fulmen.
O Ioue digna coli, primiſque addenda Dearum
Cœtibus (vlteriùs longè te Muſa leuaret,
Inuidiam ſed lingua timet) quis pectore tantam
Fœtus habet Cyrrham, pleno te reddere cantu
Vt queat, & Speciem numeroſâ æquare Camęnâ.
At non iſte furor, læſæue inſania mentis
Tanta mihi: vires, & noſtri nouimus œſtrum
Carminis: Ille canat, qui Te, procul axe relicto
Alligat, & totam cupidis Olor occupat alis.
Ille poteſt: minus omne Melos; ſat nube remotâ
Veſtitus luſtraſſe palàm, quam turba Deorum,
Ipſe licet traheret laſciua ad vincla Maritus,
Poſthabitâ vidiſſe velit cum Marte Dione.
Quantus hyperboreæ per eburnea membra pruinę
Candor it, & niueum vincit collatus amantem!
Vix Cycnum, ni colla leuet, moduloque ſonanti
Præ-

Præpetis admoneat, quamuis intenta tenerent,
Lumina: Laudamus candentis Iuppiter vmbræ
Ingenium: valeat tectum quis prændere Numen,
Cùm nec Auis pateat; penitùſque à corpore iuncto
Diſſimuletur Olor; lateatque in nexibus albor
Plumeus, & nullum noceat diſcrimen operto?
Sed nec Amiclæam leuius commendat Amicam
Artis opus; Tu ſceptra premis, Volucremq; figuras
Tegmine mentito: negat Hæc prolata parentem
Terrigenam, credique Deûm de ſtirpe meretur
Veſtibus abiectis; nam quis temerarius auſit,
Corpore perſpecto, miſeris adſcribere terris
Non mortale Decus? Luſis imponit vterque
Luminibus; neutrumque genus ſua pandit imago.
Scire nefas, cui maior honos; quis pulcríus ortum
Callidus occultet; ſed qui decreſcit, haberi,
Ius erit, inferior; tollet nec palma minorem.
Fortunata Phrygum quantumuis dura cadentum
Fata, nec euerſæ funus plorabile Troiæ!
Non quòd ad Iliacas adducta eſt Tyndaris arces,
Tyndaris Argolicas penitus tranſgreſſa puellas,
Sed, quòd Tyndaridem niueo quæ protulit ouo,
Leda fuit: Doleant facibus cur hauſta Pelaſgis
Pergama Priamidæ? Cuius peruenit in Aſtra
Igne parens Paphiâ Regem populante fauillâ,
Laomedontæos non vrat Nata Penates?
Talis in aſpectu Paridis ſi forma fuiſſet
Iunoni, Glaucæue Deæ, non æmula Cypris

Nu-

Numina viciſſet, furtò licitante triumphum:
Obſtaſſet Genitrix Helenæ; quantùm illa Deabus
Obſtitit, atque empto corrupit Iudice cauſam.
Quis tàm mentis hebes? Cui tanta nocte laborat
Viſus, vt elatæ cernat ſi Frontis honorem,
Diuiduumque Iubar, ſubitò non inde Laconas
Conijciat Fratres, & amicum puppibus Ignem?
Non ſolùm Patri debetis ſidera Diui;
Plus meruit Genitrix: dedit hæc mulcere procellas,
Et placare Fretum: vis eſt Materna furores
Pellere, & implacidos riſu ſedare tumultus.
Quæ Tyros oſtra legat? Quæ nectant vellera Seres
Artubus æqua ſuis? Procul ò, procul omnis abeſto
Pompa, nec addictam laſſet labor vllus Arachnen.
Cæletur, quam menda notat, nec dote ſuperbit
Ipſa ſuâ: nigrant aduerſum nubila Solem,
Obtentuque nocent: radijs ornatur, habetque
Leda ſuas pro veſte niues; pars illi renidet
Fulgidius, quæ prima patet: vix Numinis alas
Lumina læſa ferunt, mediumq; odere Tonantem.
Ille quidem ſua furta colit, motuſque per omnes
Blanditus, facilem certat meruiſſe Puellam.
Cernis vt attollat guttur; lapſuque ſereno
Inſerat os ori; roſtroque crepante labellum
Tractet, & ex alto tamquam moriturus anhelet?
Inde Melos, Venereſque trahit; flexuſque canoros
Ducit, & inſolitá condit dulcedine cantum.
Ne, precor, implicitam reuoces ad carmina linguam
Cycne

Cycne decens: gemitus, truncæque ſilentia vocis
Plus laudis, plus artis habent: compreſſa loquuntur
Guttura, & alternans ſucciſſo murmur hiatu
Vim Paphiæ, verſumque Iouem, flammaſq; latentes
Sub niuibus: Non ad Superæ conuiuia menſæ
Clarius, inſtructus Muſis, cytharâque ſonanti
Fultus, Olorinos patefecit Phœbus amores.
Sed quis ad amplexus Volucer, luſuſque vocatus
Tam pulcros, nullum quamuis tegat Alite Numen,
Immitem non ponat Auem, ſenſuſque ferinos
Non domet; atq; Hominem teneros nõ diſcat in vſus?
Ipſe Promethæis ſolitus pingueſcere fibris,
Æternamque implere famem; ſi tale coruſcet
Caucaſeâ de rupe Iubar, ieiunia durus
Proferat, & viſæ poſtponat pabula Ledæ.
Tanta ſed intentos nimiæ ſpectacula Formæ
Exhauſere oculos: acies langueſcit; hebetque
Intuitus; nec dum cupidus per ſingula viſus
Iuit, & ex voto per lactea membra cucurrit.
Sũme Deûm quo Te ore canam? Quo lumine luſtrem,
Tota fatiſcentis cùm vis conſumpta vigoris
Areat, & mediæ nondum ſuffecit Amicæ?
Cùm nouus in vacuo ſpirabit pectore Phœbus,
Cùm Furor ille recens, integratuſque Camenæ
Impetus; inſtabo, ſoluſque in carmine pleno
Cycnus erit: forſan dedignarere minori
Vate cani; crimenque foret dixiſſe Tonantem
Viribus emiſſis. Sed iam nos increpat Ales,

Ab-

Abſceſſumque iubet; longoque offenſus ab œſtro
Iratùm commotus hiat: caruiſſe Puellâ
Abnegat vlterius, nimiæ diſpendia linguæ
Dum patitur; fatuiſque vrit concentibus aures.
Paremus; vacuumque locum præſtamus amori,
Secretumque damus: Sed Tu cauiſſe memento
Arctius adductis ne lædas pectora pennis
Imprudens; tenerumque latus ſtringentibus alis
Comminuas: nimio, ſi cùm ſimulacra reuiſam,
Deprændam liuere Deo; clamabo Tonantem
Æmula non æquo populatum membra duello;
Prælatam doluiſſe ſibi; commiſſaque rurſus
Ne placeat, victumque premat, triuiſſe Lacęnam.

99957592

Digitized by Google

1053. 8
. 2

Digitized by Google

Digitized by Google